

Cap. XVIII. Rubrica de muro civitatis reffi-
ciendo.

Statuimus quod quodlibet dominium civitatis Tergesti fa-
cere teneatur tempore sui offitii quatuor passus murorum
5 sive duos voltos murorum civitatis Tergesti, sub pena vigin-
tiquinque libr. par. pro quolibet dominio. Et conplectis meniis
civitatis Tergesti super ripam maris, tunc incontinenti domi-
nium quod pro tempore fuerit teneatur facere fieri gradatam
extra dicta menia versus mare, in illa quantitate et forma
10 quibus dominio videbitur convenire pro salvamento ipsorum
murorum, tamen cum consilio magistrorum muratorum et
aliorum bonorum virorum civitatis Tergesti. ¶ Preterea quod-
libet dominium Tergesti quod pro tempore fuerit teneatur et
debeat expendere quinquaginta libr. par. in aptando menia ci-
15 vitatis Tergesti, incipiendo a turri Celle usque ad turrim Tigori
que fuit condam domini Marci Ramphy, sub pena vigin-
tiquinque libr. par. pro quolibet potestate et quolibet iudice contra-
fatiente.

Cap. XVIII. Rubrica de transeuntibus menia
20 comunis civitatis Tergesti et occupan-
tibus voltos.

Prohibemus quod nulla persona sit ausa vel presumat in-
trare in civitatem Tergesti vel exire extra civitatem Ter-
gesti per menia sive muros civitatis predictae ullo modo vel
25 ingenio, sub pena quinquaginta libr. par. pro qualibet persona
contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Salvo quod, si
persona contrafatiens non esset legitime etatis, quod sit in
discretionem domini a dicta pena inferius. ¶ Preterea nulla
persona sit // ausa nec presumat occupare voltos comunis sive 257 B
30 muros, vel facere occupari positos super mari, a domo condam
domini Alberti usque ad domum condam domine Iustine de
Sclocha, scilicet cum sarmentis letamine vinacia stiis bruto-
rum animalium sive cum aliis rebus turpidibus, sub pena qua-
draginta frx. pro qualibet contrafatiente et vice qualibet con-